2640 | 1 | 113.

Illustrissime Domine,

Fautor colendissime.

Salvum Excellentiae tuae in Petropoli adventum cum ex literis Clar. Dn. Van der Beck colligere nuper datum fuerit, non potui non hisce ex animo gratulari, tuisque humanissimis Noriberga circa finem superioris anni, cura Cl. Dn. Doppelmaieri ad me missis respondere. Caeterum sicut gratiosa tua ad Societatem nostram imperialem Nat. Cur. accessione nihil nobis jucundius evenire potuit, ita ut favore tuo perennante nos beare velis est quod majorem in modum rogito. Interea novus Ephemeridum nostrarum liber prelum Noricum subijt, in quo etiam praefati Domini van der Beck curiosa Relatio de praesenti Russiae literaria statu comparebit; qui liber ubi prelo exierit, ut secura occasione in manus tuas perveniat, curabo, permansurus semper

Celeberrimi tui Nominis

cultor devotissimus
Lucas Schröckius.

Augustae Vind. d. 29. Julij A 1726.

1646 + 1730.
Kuie Leibarzt

1v

2

Illustrissimo Viro,
Domino Josepho Nicolao Del'Isle,
Professori Matheseos celeberrimo.

Petropolin.